

## § 7. QUAENAM CENSURAE LATAE SENTENTIAE HODIE VIGEANT.

**579. I.** Censurae Papales l. s. hodie vigentes e Const. *Apostolicae Sedis* diei 11 Oct. 1869, tamquam suprema norma, cognoscendae sunt.

Etenim ad tollenda multa dubia circa censuras antiquitus latae, et varia incommoda e minore earum convenientia cum hodiernis adjunctis orta, Pius IX hanc Bullam edidit, de Apostolicae potestatis plenitudine decernens : " Ut ex quibuscumque censuris, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipso facto incurriendae, hactenus impositae sunt, nonnisi illae quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant. "

Hinc veteres censurae habendae sunt ut abolitae, nisi clare hujusce Constitutionis tenore renoventur : siquidem scopus Bullae, in prooemio indicatus, fuit definire quasnam censuras *moderari aut abrogare* congrueret, ac proinde ad eas restringendas potius quam augendas tendit. Verum contra censuras in eodem documento relatas afferri nequit consuetudo, etiam immemorabilis, qua, ante ejusdem editionem, vim suam amiserit vel ipsa censura vel lex cui adnectitur. Declarat enim Pius IX eas censuras " non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere. " In hunc sensum pluries S. Inqu. respondit, ex. gr. 22 Dec. 1880 (Act. S. S. t. 15. p. 536) circa clausuram monialium, immunitatem asyli ecclesiastici, et necessitatem benefacit Apostolici ad alienanda bona ecclesiastica : quae tria servanda esse affirmavit, non obstante consuetudine, etiam immemorabili, quae, in Germania et speciatim in Bavaria, vigere affirmabatur.

**II.** Praeter censuras quae explice in Const. *Apost. Sedis* recensentur, vigent hodie :

**1º** Censurae quas tulit Conc. Tridentinum. Intellege eas quas Trid. tunc primum statuit. His enim solis proprie convenient verba Const. Pii IX : *quos S. Conc. Trid. excommunicavit..., suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit.* Quare inter omnes convenit abrogatas esse censuras quas Trid. tantum per generales allegationes innovavit, ex. gr. " qui secus fecerint, poenas a jure inflictas ipso facto incurrant. " (Sess. 21. de ref. c. 1) Idem, cum sententia communiore et probabiliore (Piat. Comment. in h. l.), censemus de iis censuris quas Trid. speciali allegatione innovavit, ex. gr. innovando (Sess. 14. de ref. c. 6) Constit. Clementis V qua edicitur suspensio ipso facto incurrenda a clericis qui, in sacris constituti, vestem statui suo congruentem deferre renunt.

**2º** Censurae ante Const. *Apost. Sedis* latae et in suo vigore perstantes, sive pro R. P. electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum Locorumque piorum. (Const. cit.) Ad internum autem regimen illorum Institutorum imprimis spectant censurae, quibus praecaventur delicta sociorum contra status sui obligationes, ex. gr. apostasia a religione; deinde etiam illae, quibus extranei arcuntur ab interno isto regimine perturbando, ex. gr. per Ordinis impugnationem. Contra ad internum regimen non spectat, neque jam vigeat excommunicatio lata a Clemente VIII contra Regulares qui, sine debita facultate, a casibus quos episcopi in sua dioecesi reservant, absolvere praesumunt. (Piat. Comment. in h. l.)

**3º** Censurae quas R. P. post editam Const. *Apostolicae Sedis* promulgavit. Eas enumerabimus cum cit. Const. censuris.

## CAPUT II.

## DE EXCOMMUNICATIONE.

## § 1. QUID ET QUOTUPLEX SIT EXCOMMUNICATIO.

**580. DEFINITIO.** Excommunicatio est censura ecclesiastica, qua quis a fidelium communione separatur et bonis, quae illi inter se communicant, privatur. (Reiff. in l. 5. Decr. t. 39. n. 50) Quibusnam bonis privetur excommunicatus, explicabitur sequenti paragrapho.

Ab excommunicatione non differt essentialiter *anathema*. Haec vox saepè usurpat tamquam plane synonyma cum priore, ex. gr. ad calcem canonum Conc. Tridentini. Quandoque etiam in Jure (Decr. l. 2. t. 1. c. 10) opponitur excommunicationi et designat extraordinariam sollemnitatem qua eadem censura pronuntiatur, vid. ab episcopo quem circumstent duodecim presbyteri manu tenentes lucernas ardentes quas, pronuntiata sententia, in terram projiciant. (Pontif. Rom. P. III)

**581. DIVISIO.** Ad novissima usque tempora distinguebatur excommunicatio in *majorem* (modo definitam) et *minorem*. Haec censura incurrebat tantum ab iis qui cum excommunicato vitando communabant, et sola perceptione sacramentorum privabat. Desit vigere a

promulgata Bulla *Apostolicae Sedis*: siquidem censura erat, neque in eam Bullam relata est. (n. 579) In hunc sensum respondit S. Inqu. 5 Dec. 1883. (Coll. P. F. n. 1008)

Reliquae excommunicationis divisiones eadem sunt quae supra (n. 564) de censuris in genere explicatae sunt. Sed manet explicandum discrimen quod inter ipsos excommunicatos viget: quorum alii tolerandi, alii vitandi nuncupantur.

Discrimen istud inductum est celebri Const. *Ad evitandam*, quam Martinus V dedit in Conc. Constantiensi: antea enim vitandi erant omnes quas constabat esse excommunicatos. Hodie igitur, juxta hujus Const. tenorem, vitandi sunt tantum:

1º Qui nominatim, expresse et publice tamquam excommunicati a judice competente denuntiantur, vel, ubi agitur de excommunicatione l. s., qui eam attraxisse, sententia pariter judiciali et publica, declarantur. Non sunt ergo vitandi quilibet excommunicati notorii, vel qui tantum cum aliis, ejusdem criminis participibus, generali quadam expressione declarati sunt excommunicati, sed non sunt designati proprio nomine vel titulo qui nomini aequivaleat. (Aichner, Comp. J. Eccl. § 218)

2º Publici et notorii clericorum percussores, etiamsi non fuerint denuntiati tamquam excommunicatione canonis innodati. Attamen in praxi vix umquam aderit obligatio vitandi eos qui denuntiati non fuerint. Nam Martinus V (Const. cit.) eos tantum clericorum percussores vitandos esse declarat quos "adeo notorie constiterit incidisse (in excommunicationem) quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari." Jamvero, propter haec ultima verba, S. Alph. (n. 144) probabile censet vitandum non esse clerici percussorem usquendum in judicio confessus aut condemnatus fuerit: quia antea semper aliquo suffragio valet excusari, dicendo, ex. gr. se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram, etc.

Advertendum est facultatem communicandi cum excommunicatis toleratis (idem dic de ligalis alia censura), datam esse ceteris fidelibus "ad vitanda scandala et multa pericula subveniendumque conscientiis timoratis", nullatenus autem esse favorem ipsis excommunicatis praestitum quo eorum poenae mitigentur. Ut enim addit Martinus V (Const. cit.): "Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari." Ex consuetudine tamen quaedam mitigatione ipsis excommunicatis toleratis concessa est, ut sequenti paragrapho dicturi sumus.

### § 2. QUOS EFFECTUS HABEAT EXCOMMUNICATIO.

**582. I.** Excommunicatio privat susceptione et **usu passivo sacramentorum**. Unde nullus excommunicatus, sive toleratus, sive non, potest ea licite recipere sub mortali: nisi excusat ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiae, jactura honorum, etc., quia censura non obligat cum tanto rigore. (Bus. ap. S. Alph. n. 158) Hinc etiam patet ad sacramenta admitti non posse eos qui in externa professione sectae heterodoxae aliquamdiu vixerint, antequam formalem abjurationem vel catholicae fidei professionem ediderint: quamdiu enim hanc professionem non fecerint, saltem in externo foro, habendi sunt tamquam ab Ecclesiae communione separati. Si ad sacramenta administerentur dum bona fide in suis erroribus perstent, ansa daretur existimandi parvi momenti esse discrimen quod inter professionem fidei catholicae et schismaticos errores vigeat. In hunc sensum S. Officium, interrogatum: "An aliquando absolvi possint haeretici materiales qui in bona fide versantur?" 22 Julii 1898 respondit: "Cum scandalum vitari nequeat, negative: praeter mortis articulum; et tunc efficaciter remoto scando." (N. R. Th. t. 30. p. 639) Cfr. etiam Instr. S. C. de P. F. 25 Apr. 1868 de juvenibus schismaticis qui in scholis catholicis educantur. (Coll. P. F. n. 479)

Valide tamen quaelibet sacramenta suscipit excommunicatus; etiam ipsam poenitentiam. Nam, licet hanc invalidam reddere possit malis dispositionibus quibus eam recipiat, ipsa tamen censura sacramento valide recipiendo non obstat. Ecclesia enim jurisdictionem confessario non aufert, cum censura afficiat solum censuratum; neque ipsum poenitentem, qui ex jure divino habilis sit ad hoc sacramentum recipiendum, inhabilem reddere potest. (S. Alph. n. 159) Valet igitur absolutio, etiamsi excommunicatio sit reservata vel confessarius, sciens peccata habere adnexam excommunicationem, tamen ex malitia absolvat. (Bus. l. c.)

**II.** Excommunicati, saltem vitandi, etiamsi in statu gratiae versentur, **communibus Ecclesiae suffragiis privantur**. His autem intellegenda veniunt spiritualia bona quae ex actionibus et concessionibus Ecclesiae quibuslibet ejusdem membris proveniunt, vid. ex sacrificio Missae aliisque publicis Ecclesiae functionibus, et ex concessione indulgentiarum. Non privantur vero excommunicati illa communione sanctorum quam in Symbolo profitemur quaeque consistit in fide, caritate et gratia, quibus fideles inter se vinciuntur: cuius unionis vi potest unus fidelis alteri impetrare specialia beneficia eique, modo capax sit, applicare proprias satisfactiones aliosque bonorum suorum operum fructus. Neque prohi-

bentur reliqui fideles quominus, proprio nomine et privata intentione, excommunicatis applicent fructus orationum et bonorum operum. (Reiff. l. c. n. 54 seqq.; S. Alph. n. 163) Quare etiam sacerdos potest, tamquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus et Saero; immo actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, offerre vel ejus in *Memento* in particulari meminisse. (Bus. ap. S. Alph. n. 162) Nec desunt (Gasp. de SS. Euch. I. n. 483) qui existimunt, secluso scandalo et vetita communicatione, posse Missam privatum et secreto applicari excommunicatis vitandis, cum nulla certa lege id prohibeatur.

Eadem suffragiorum communium privatione puniri excommunicatos quoque toleratos, alii absolute affirmant (Aichner, l. c.), alii absolute negant. (Gury, II. n. 964) Rectius ita distinguendum censemus cum Lehmkuhl (II. n. 886): tolerati excluduntur a numero fidelium pro quibus Ecclesia per suos ministros orat; non impediuntur tamen ministri, quominus *speciali intentione* eosdem includant. Nam hujusmodi distinctio omnino conformis videtur fini quem Martinus V intendit, dum inter vitandos et toleratos distinxit, vid. nullum favorem directe praestandi excommunicatis, sed plenam libertatem relinquendi ceteris ut cum iis communicent. Regulariter tamen non licet Missam vel alia divina officia celebrare pro excommunicatis acatholicis, ut dictum est n. 221.

**583. III.** Excommunicatio privat usu activo sacramentorum et administratione. Magnum tamen hic viget discrimen inter excommunicatum toleratum et vitandum.

Vitandus regulariter illicite confert sacramenta, etiamsi a fidelibus rogetur; valide eadem administrat, excepta poenitentia, cum jurisdictione ei subtrahatur. Plures tamen sunt casus, in quibus licite sacramenta conferret. Vid. ipse ad hac prohibitione servanda excusatur quando eam servare nequit absque gravi incommodo, ex. gr. si metu mortis ad sacramenta conferenda adigatur, dummodo comminatio non fiat in contemptum censurae. (S. Alph. n. 170; Ball. P. n. 192) Deinde, in favorem fidelium, potest moribundis administrare poenitentiam (n. 332) vel baptismum, probabiliter etiam Eucharistiam et extremam unctionem. (Schmalzgr. in l. 5. Decr. t. 39. n. 146)

Toleratus graviter peccat si sponte se ingerit sacramentis administrandis, quamvis valide etiam poenitentiam conferat: siquidem jurisdictione non privatur, cum hoc ad utilitatem fidelium expedit. (S. Alph. n. 168) Nullatenus vero peccat si rogatus a ceteris fidelibus sacramenta administrat, nisi forte in statu peccati mortaloris existat. Neque ulla speciali ratione indigent fideles ut ab eo sacramenta petant: nam ipsis universe

permissa est a Martino V communicatio cum tolerato. (S. Alph. n. 139)  
Cfr. n. 130. V.

**IV.** Excommunicatio privat usu divinorum officiorum, eorum scil. quae clerici tamquam Ecclesiae ministri obeunt, quales sunt Missa, recitatio divini officii in choro, defunctorum exsequiae, etc., minime vero quae privata devotione peraguntur, ut orare in ecclesia dum nulla officia ibidem celebrantur, venerari reliquias et imagines sanctorum, etc. Privatim Horas canonicas recitare potest excommunicatus, ac proinde ab earum obligatione non solvitur.

Prohibitio modo explicata certe servanda est ab excommunicato vitando, et quidem sub gravi ex genere suo. Igitur vitandus, si tempore divinorum officiorum superveniat, monendus est ut recedat et, si nolit, vi extrudendus est, quatenus id sine majore incommodo fieri potest. Si expelli nequit, fideles tenentur, saltem sub levi, ad recedendum; celebrans vero, nondum inchoato canone, debet abrumpere Missam; si canonem inchoavit, potest Sacrum vel prosequi vel abrumpere, ob sententiae utriusque probabilitatem; si jam consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive et reliqua perficere in sacristia vel alio decenti loco.

Eadem prohibitio per se observanda est etiam toleratis. Attamen probabilis est sententia quam plures recentiores tuerunt (D'Annib. I. n. 362. nota 19; Ball. P. n. 397; Lehmk. II. n. 891): ex hodierna consuetudine, assistantiam divinis officiis non esse tam rigorose prohibitam toleratis. Sic Ecclesia heterodoxos potius allicit ad officia sua frequentanda quam eos ab iisdem removet, cum hac frequentatione crebro ad conversionem adducantur; neque ullus episcopus increpat catholicos excommunicatos, ex. gr. franco-muratores, qui Sacro interesse solent. Attamen non est permittendum heterodoxis ut partem in ipsis sacris caerimoniis sumant, cum, saltem exteriore professione haeresis, ab Ecclesia separati vivant ac proinde tractari nequeant tamquam fideles hujus Matris filii. Ita declaravit S. Inqu. (20 Nov. 1850 et 8 Jun. 1859): non licere heterodoxos in funeribus admittere ad participandum precibus vel eis distribuere candelas benedictas, cineres, palmas, etc. neque permitti posse ut parentum schismaticorum pueri officium ministri in sacrissimis caerimoniis exerceant.

**584. V.** Excommunicatio privat capacitate acquirendi beneficii. Ratio est, quia excommunicatus, etiam toleratus, non potest communicare in officio, proindeque incapax est beneficii, quod datur propter officium. Idque, licet ignoretur excommunicatio: quia ignorantia invincibilis, etsi excusat a culpa, non tamen supplet defectum conditionis

requisitae ad valorem actus. (Bus. ap. S. Alph. n. 179) Attamen si praeditus legitima facultate collationi, electioni, etc. praemitteret (ut fieri solet) absolutionem ad cautelam, valeret collatio, electio, etc. nisi quis excommunicatus sit ob haeresim, quae sub generali absolutione non comprehenditur. (S. Alph. n. 180)

Eadem ratione excommunicatus fit inhabilis ad quaelibet rescripta, sive gratiae sive justitiae, a R. P. obtainenda. (6<sup>i</sup> Decr. l. 1. t. 3. c. 1)

**VI.** Excommunicatio privat **communicatione forensi**, i. e. iis quae ad judicium vel civile vel ecclesiasticum pertinent, qualia sunt munera judicis, advocati, etc. Verum haec privatio in foro civili jam nullum locum habet. In foro autem ecclesiastico eadem viget pro vitandis; pro toleratis vero eatenus tantum quatenus isti, sive ut procurator, sive ut testis, sive ut actor, tum ab adversariis, tum a judge per exceptionem repelliri possunt. (Aichner, l. c.)

**VII.** Excommunicatus vitandus privatur omni **jurisdictione ecclesiastica**, ita ut, in foro tam externo quam interno, acta jurisdictionis ab eo posita sint ipso jure nulla: excipe pro foro poenitentiali casus supra (n. 583) indicatos. Quae vero ab excommunicato tolerando aguntur, puta collatio beneficii, non sunt ipso jure nulla, sed invalida fiunt si contra ipsum excipiatur: sic enim bono communi consulitur, neque ipsis censoratis favor praestatur, juxta Bullam Martini V. (Reiff. l. c. n. 69 seqq.)

**585. VIII.** Excommunicatio certo privat ecclesiastica sepultura vitandos, nisi ante mortem fuerint absoluti vel saltem signa poenitentiae dederint: quo in casu, ritu ab Ecclesia praescripto (Rit. Rom. t. III. c. 4) absolvendi erunt, antequam in loco sacro vel benedicto sepeliantur. Quodsi vitandus imponitens in loco sacro sepultus fuisset, is pollutus esset (n. 242. VI) et cadaver, quatenus fieri posset, eruendum foret.

Excommunicatus toleratus, si occultus erat, certe in loco sacro sepeliri potest; si notorie ut talis cognitus erat, controvertitur. Plures AA., ut Suar. (de Cens. disp. 12. sect. 4. n. 5), existimant eum in loco sacro sepeliri posse, eo quod, sicut jam non prohibemur cum iis viventibus communicare, ita cum mortuis idem possumus. Alii (Bus. ap. S. Alph. n. 186; Reiff. in l. 3. Decr. t. 28. n. 85) posse negant, cum hic prorsus desit ratio licentiae a Martino V fidelibus concessae. Prior sententia sane probabilis et, ad vitanda scandala, hodie in praxi tenenda videtur, nisi aliae rationes ecclesiasticae sepulturae obsistant.

**IX.** Excommunicatio, juxta rigorem Juris, privat quoque **communicatione civili**. (Decr. l. 5. t. 39. cc. 29 et 41) Vid. excommunicati cum

reliquis fidelibus nec contrahere, nec commercia aut negotia habere, nec cum eis cohabitare, convivere, familiariter conversari, officiose colloquivalent, nec fideles cum illis. Attamen, ex hodierna consuetudine, tolerati etiam sponte in civilibus cum reliquis agere possunt. (S. Poenit. 5 Jul. 1867) Quin et pro ipsis vitandis haec poena in desuetudinem abiisse videtur. (Lehmk. II. n. 897; Ball. P. n. 411) Etenim rationes quas antiqui DD. (S. Alph. n. 200 seqq.) afferebant ut ostenderent in pluribus casibus licere hanc communicationem civilem, hodie tam late patent ut eae vix non pro quolibet adsint. Jamvero lex quae communiter jam servari nequit, censenda est vim suam amisisse, etsi ab aliquo in particulari servari possit. (Vol. I. n. 83)

**X.** Praeter effectus supra explicatos, qui dicuntur *immediati*, habet excommunicatio quosdam **effectus mediatos**, quorum praecipui sunt:

1<sup>o</sup> Irregularitas, quae inducitur violatione censurae. Cfr. n. 633. III.  
2<sup>o</sup> Suspicio haeresis, quam incurrit qui per annum in excommunicazione *insorduerit* (Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 3), seu pertinaciter perseveraverit. Etenim merito censetur contemnere auctoritatem Ecclesiae qui ejusdem poenam praecipuam non curat. Id probabilius restringendum est ad nominatum excommunicatos: effectus enim qui ad forum externum spectat, non videtur extendendus ad eos quos in eodem foro non constat esse excommunicatione ligatos. (D'Annib. I. n. 361. nota 18; Ball. P. n. 371)

### § 3. QUAENAM EXCOMMUNICATIONES HODIE VIGEANT.

**586.** Excommunications l. s. hodie vigentes recensebimus juxta quattuor series in quas, pro maiore vel minore absolvendi facultate, in Bulla *Apostolicae Sedis* dispescuntur. Censuris quae magis ad proxim faciant, addemus brevem explicationem: quam, quatenus fieri poterit, cum ipsis Bullae verbis conectemus. Singulis seriebus subjiciemus excommunications quae a Tridentino latae permanserunt (n. 579. II), vel recentioribus S. Sedis documentis inventae sunt.